

I

R. 336.

DISSE<sup>R</sup>TATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
SISTENS  
CAVSSAS  
INFANTICIDII IMPVNIS

QVAM  
PRAE<sup>S</sup>IDE  
**D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO**

FACVLT. MED. SENIORE ETC. ETC.

PRO GRADU DOCTORIS

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS

ET

PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CAPESSENDIS

D. III DEC. C<sup>I</sup>X<sup>I</sup>C<sup>L</sup>XXI.

PUBLICE DEFENDET

AUTOR

ERICHARDICUS ADOLPHIUS  
RICHTER

HALENSIS.

---

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.



3  
B  
IN FELICITATE MUNDI  
SISTENS  
GAVASAS  
INFANTICIDI IMPANIS  
D  
CIRCHONIA ADOPTA BOHEMERO  
V  
TRIVALENTIS DOCUMENTARIA RUM CAPITULI  
D  
C  
T  
E  
R  
T  
E  
R  
T  
E  
R



*ILLUSTRISSIMO DOMINO*

*DOMINO*

*LIBERO BARONI*

**CAROLO ABRAHAMO  
DE ZEDLITZ**

*POTENTISSIMI PORVSSORVM REGIS*

*STATUS ET JUSTITIAE MINISTRO ACTUALI INTIMO,*

*SUPREMI SENATUS ECCLESIASTICI PRAESIDI,*

*REGIARVM UNIVERSITATVM CURATORI,*

*DYNASTAE IN HAPPSDORF ET MICHELWITZ*

*ETC.*

CHARLES ABRAHAM RICHTER  
EDITION  
HAS  
PRIMITIAS ACADEMICAS  
DEVOTISSIMI ANIMI SVI  
MONUMENTVM PUBLICVM  
LONGE VERECUNDISSIME

D. D. D.

A V C T O R

FRIDERICVS ADOLPHVS RICHTER.

*In* hac rei opportunitate, quam mihi fin-  
gere sustineo, gestit animus pietatis suae, qua T E  
ILLVSTRISSIME MAECENAS veneratur,  
documentum quoddam publicum sancire. Acci-  
piat illud, verecundissime rogo, ista inusitata T V A  
clementia. Permittat T V A, quam in T E omnes  
venerabundi admiramus, indulgentia, ut specimen  
hoc, qualemque academicum, quod ILLV-

STRIS.

S T R I S S I M O T V O N O M I N I consecratum esse  
volo, in T E insigne quoddam Musisque benefi-  
cum decoris genus habeat, quo exornatum superbi-  
re quasi ad alios possit. Est enim sanctum ac inuio-  
labile N O M E N T V V M litteris Musisque omni-  
bus, quae ad T E, tamquam ad Deum tutelarem  
alterum configiunt, T V O que patrocinio fortuna-  
tae, purissimas pro T V A incolumentate preces ef-  
fun-

fundunt. Huic probitati adiungo sincerimae pie-  
tatis erga te meae ad Deum publica vota, illum-  
que oro, ut incomparabilem rei litterariae Stato-  
rem in perpetuum decus litterarii orbis, in salu-  
tem Reipublicae vniuersae bonorumque omnium  
certum solatium, ad remotissima vsque tempora,  
quouis prosperitatis genere beatum, esse jubeat.

In ista diuina comitate atque clementia, quae est

ma-

maximorum Virorum personis propria, patere lo-  
cum aliquem intenire nullum

**ILLVSTRISSIMI ET SANCTI**

**N O M I N I S T V I**

ceterum festinare ad lemominia adde templa

dumne profectus genitio pessima

Halaë Halae impensis

d. 3. Dec. MDCCCLXXI.

III illa divina comitate inde glorificari quae sit

DEVOTISSIMVM CVTOREM

FRIDERICVM ADOLPHVM RICHTER.



## PROLOGUS.

Omni quidem aetati mors communis est,  
quanto tamen propius ab ortu distant ho-  
mines, tanto moriuntur facilius. Dimidia  
circiter denatorum pars ad infantes redit  
puerosque (vid. SÜSSMILCHS Göttl. Ordnung Th. II. cap.  
XXII. pag. 285.). Neque minus his eo fatalis dies certius, quo  
magis sunt imbecilles, imminet (IDEM ib.). Atque haec sa-

A

tis

tis sunt illustria ac in aperto. Possent autem, qui mortui na-  
scuntur, foetus hanc, quam ediximus, legem falsitatis arguere.  
Eorum enim mortalitatem cum sic ad calculum reuocauerit  
**SÜSSMILCH** (*I. c. Th. I. cap. V.*) vt censeat, mille denatorum,  
si designentur, triginta circiter, qui mortui excluduntur, foetus  
continere: non videtur sane soli imbecillitati hominum mortalitas  
respondere. Quodsi enim **HENSLEVM**, tabulis necrologi-  
cis, quas **SÜSSMILCH** proposuit, vtentem (*vid. EIVS Bey-  
trag zur Geschichte des Lebens und der Fortpflanzung der Men-  
schen auf dem Lande, Altona und Lübeck 1767. Seit. 32. 33.*),  
sequi, atque triginta sex mortuos esse foetus natos, si mille ho-  
minum sint denati, iudicare velis; quodsi vel rarissimo, ab  
**HENSLEO** commerato *ibid.* exemplo abutens, quinquaginta  
quatuor numeres; is tamen calculus ad eum nondum assurgit,  
quo mortalitas infantum, qui viui nascuntur, indicatur. Vel  
leuis interea attentio eum potest nobis scrupulum adimere.  
Monuit enim **SÜSSMILCH** (*I. c. Th. I. Seit. 164.*) non solere  
abortus, nisi quintum vel sextum mensem excederint, in ratio-  
nem venire: quo ipso calculus, quem diximus, turbatur ma-  
xime. Quis enim non videt, quam facile primis grauiditatis  
mensibus, vel inscia saepe matre, embryo eiici queat. Causas  
huius mortalitatis perquirenti leuissimus embryonis cum vtero  
nexus, imbecillitas primae hominum aetatis, morbi graues,  
quos

quos tamen natos subire oportet, sponte sua se offerunt. Nunquam tamen eo me adigi patiar, vt credam, praecipuas eius mortalitatis caussas ad naturae iussa redire. Enimuero, quae fiunt infantum foetuumque mortes, hominum maxime culpa eveniunt. Qua enim fieret ratione, vt natura, non facile a se ipsa vñquam deflestant, mortes inferret, adeo, quod celeritatem frequentiamque spectat, diuersas? Quod quidem vt pateat, duo tantum exempla proferam. Docuit SCHLOEZER, qui tabulas necrologicas petropolitanas exhibuit, (*von der Unschädlichkeit der Pocken in Russland, und von Russlands Bevölkerung überhaupt, Götting. und Gotha 1768. pag. 5.*) exteris Petropoli quadragesimum quemque quartum infantem mortuum nasci, inquiline non nisi sexagesimum primum. Dresdae monente EODEM sextus decimus, Berolini trigesimus & in Suecia quinquagesimus quisque mortuus excluditur infans. Plures differentias commemorat SÜSSMILCH (l. m. c.). Conqueritur etiam HENSLER de foetuum, qui mortui nascuntur numero, culpamque in manus male obstetricantes, redundare iudicat. (l. m. c.) Neque est, quantum video, de quo possint, qui Halam nostram incolunt, gloriari. Obstupescens enim video annis 1767. 68. 69. 70. additis, qui mortui prodiere, natos esse 2711, quos inter mortui fuere 140. Igitur Halae vigesimus circiter infans mortuus nascitur. Lipsiae, vt ex tabula necrolo-

gica, qua quidem vnica gaudeo, perspicio, longe etiam plures iam peremti nascuntur fœtus. Sequitur igitur ex calculo adeo differenti, plurimorum fœtuum mortes non naturae esse opus, sed hominum culpae. Quod vero natis idem immineat fatum, ea docere possunt, quae SÜSSMILCH (*I.c. Th. II. Seit. 523sq.*) commemorat. Incidit enim Berolini a. 1751. morbillorum epidemia adeo horrenda, vt intra octodecim septimanarum tempus, infantes fere sexcenti mortem inde subirent; attamen Viri experientissimi magna que famae ELLER, SPROEGEL, LIEBERKÜHN fassi sunt, eas mortes non epidemiae, sed peruerse methodo maloque regimini tribui debere.

Quae cum ita sint, patet, infanticidium impune vnam esse ex grauissimis caussis, quae prouincias depopulantur. Pluribus id sequentia cōmonstrabunt, quae B. L. iudicio submitto, si monuero prius, *Infanticidium impune* mihi dici illud, quod non punitur, licet etiam patratum esse nouerit iudex.



SE



SECTIO PRIMA  
DE  
CAVSSIS  
INFANTICIDII IMPVNIS  
DVRANTE GRAVIDITATE.

§. I.

*Introitus.*

**Q**uod a conceptione facta ad partum usque absolutum de-  
currit tempus, *graviditatis* nomine hic insignire possumus. Tenella  
atque subtilis foetus structura, qua, egregia et admiranda lege tunc  
temporis in eo formando usus est natura, atque nexus cum matre  
artificiosissimus, qui vitae et virium atque incrementi fons est, fa-  
cillime perturbantur, quo sit, ut vel morbi varii vel interitus ipse  
nascendi hominis oriatur. Annuit huic asserto ipsa frequentissima et  
fere quotidiana experientia, quum multi iam in limite vitae extin-

A 3

guan-

quantur, et haud adeo parua pars, lugubri fato, morbis, ex vtero materno iam originem ducentibus, pereat misera. Quae quidem tota malorum multitudo, cum non tam ineuitabili fato conditioni humanae annexa immineat, sed magna et certe non minima ex parte erroribus diuersa ratione commissis originem debeat, mittam reliqua, ad propositum meum minus apta, et ad ea potius attendam, quae ad caussas infanticidii impunis sunt referenda. Quanta diuer-sitas! quanta multitudo harum causarum mihi paulisper inquirenti fese iam offert, quae alio tempore nihil fere mali efficerent, tempore vero grauiditatis foetus interitum non sine maiori matris periculo determinant! Singulatim iam eas considerare lubet, quod ut eo melius fieri possit, sequenti ordine pertractabo, ut nempe, quantacunque etiam inter eas intercedat differentia, eas considerem, quae 1) aborticidium, 2) mortem maturioris foetus, vel denique 3) semi-na saltim maiorum morborum in foetu post partum comparentium, efficiunt atque producunt, vnumquodque, quomodo se habeat, iam seorsim videamus.

## §. II.

*Aborticidium impune.*

Aborticidium tunc committi dicitur, quando abortus promouetur. Abortus est exclusio foetus non vitalis. Foetum non vitalem dicimus illum, qui ad vitam sustinendam absolute ineptus est; quod ex structura ipsa arque habitu foetus magis determinandum esse, plures putant medici, quam ex numero dierum, durationem grauiditatis continentium, propterea quod haud parua grauidarum pars, in tempore grauiditatis vel seruis vel citius indicando, ad hebdomas des quasdam saepius decipiuntur. Inter sextum tamen et septimum grauiditatis mensem vitalem plerumque fieri foetum, experientia docuit.

cuit. Nexus embryonis cum matre primo hoc grauiditatis tempore, non tam, qualem ultimis mensibus deprehendimus. Placentam enim cum vtero ab initio tantum laxe nec adeo firmiter cohaerere, et mora temporis magis magisque concrescere scimus. Multa ideo sunt, quae hoc tempore tam debilem nexus soluere valent; quorum plura, si proprius spectaueris talia inuenies, quae culpae hominum merito tribuenda esse videantur. Non enim regimine corporis atque diaeta hic solum peccatur, sed ipsa animi pathemata, quantum tunc temporis valeant, enunciari vix potest. Haec enim saepius sanguinis aequalem circulum turbant, vel ipsasmos vel organum excitant, imperium sanguinis versus vterum, maiori vi facile cedentem, deruant, orificia vasorum haud adeo viuide resistentium, dilatant, haemorrhagias atque abortum creant. Inter alia hic nominanda videntur moeror et iracundia, quae, quid in animali corpore efficere queant, quis est qui ignoret? A moerore turbantur se et excretiones, infringitur vis vasorum et hebescit motus humorum progressivus, fluida spissescunt, sunt stagnationes, sunt spasmi, sequitur mala nutritio foetus et abortus. In iracundo homine quas et quantas mutationes ipsa externa facies indicat. Facies mox rubicunda mox pallida appetet; oculi splendent, rapitur maxima cum celeritate et insigni impetu per turgescentia vasorum sanguis, tremunt artus; balbutit lingua; omniaque maximam atque intensam totius machinae actionem produnt. Quid miremur, si tam exagitationem abortum sequi videamus, quem saepius e minori causa extitisse scimus. Vnicum adhuc animi pathema, terrorem nominabo, qui, quantam vim ixitiam atque morbiferam in grauidis exserat, egometipse vidi. Grauida trium mensium ex improvidè fragore a disploso sclopero, terrore correpta, repente horripilationes sentit, sequuntur exagitationes sanguinis, vertigines atque spasmi variii, et tandem non sine

gra-

grauiori vitae periculo foetum abortiuum edit misera. Si plura huius rei exempla exigis, ea legas, quae commemorata inuenies in HOFFMANNI *Med. rational. Syst. Tomo IV. Part. 4. pag. 554. Obseru. VI.* Quodsi iam ad eas attendimus, quae non tam ab anima profiscuntur, sed quae vel a grauidarum peruersa vitae ratione, vel ab earum certe improuida cura frequentissime admittuntur, aborticidii caussas, non minorem earum numerum allegare poterimus. Quarum e numero hic nominandae videntur vestes, quibus ex more saeculi nostri, haud absque sanitatis detimento vtuntur mulierculae nostrae, cum abdomen arcantes circulum sanguinis per viscera impedian, atque liberae actioni partium solidarum nimis resistant. Quae, quum eo tempore ipso, quo ab omni conceptionis suspicione liberae sunt feminae, valetudini earum adeo aduersa deprehendantur haec vestimenta; quantumne mali grauiditatis tempore vel in embryonem, vel in vitrosque et foetum et matrem exinde redundaturum puremus. Exigit nutritioni respondens foetus incrementum, ut spatium sit liberum in quod ad iustam vsquam magnitudinem extendi uterus possit; cuius si nimis arte describuntur limites, et iusta foetus nutritio deficit, et placenta cum vetero nunquam satis firmiter concrescere poterit. Mirum ideo non est, quod saepius foeminas abortum pati videamus, quae ipso grauiditatis ne quidem tempore his vestimentis abdomen constringere atque coarctare desistunt cum mala hac consuetudine, quae in alteram fere naturam degenerasse videtur, nexus placentae cum vetero debilitent, et incrementum atque nutritionem foetus impedian, qui ne leuiori quidem veteri contractioni a quacunque causa ortae, tunc satis resistere valet, et facilime immaturus excluditur. Hac in causa, cum tam anceps res sit, contra morem atque consuetudinem tanta tyrannide per tot regiones regnantem solus pugnare, faciendum mihi putauit, vt ad alias auctores, eadem hac de re sentient-

tientes, prouocarem. Plures, si vellem, nominare possem, qui hanc temporum derestandam confuerudinem reprehenderunt, inter quos iam sententiam RODERICI A CASTRO hac de re adducam, qui Cde morb. mulier Libr IV. cap. IV. pag. 285 286) ita loquitur; „Abortuū prouocant – arcta alligatio, qua feminæ plerunque vtuntur, vt venustatem corpori concilient, in quem etiam usum assulas lignreas seu eburneas ac etiam ferreas Venetae, Anglicanae et Antwerpianæ ad sternum et pubem haud sine foetus detimento, subiiciunt.“ Non iniuste suspicari mihi videor, adeo frequentes abortus, quos Venerianis feminis contingere dicit RIEDLINVS in Lin. Med. Ann. IV. pag. 799. ex hoc fonte saepius originem ducere, cum etiam has hoc vestimentorum genere vti, antea legerimus. Praeter has, de quibus iam disseruimus, plures adhuc infanticidii impunis caussæ occurunt, quas singulatim considerare instituti nostri ratio postulare videtur. Quamvis omnia, qualiacunque suscipiant grauidæ, caute et circumspete ab iis sint peragenda, ne vel ipsæ sibi sint excidio, vel foetui interitum struant; nihil tamen magis curae habeant, de nulla re magis fint follicitæ, quam vt aequalis atque placidus sit circulus sanguinis, omniaque, quae humorum orgasmum excitare valent, euitentur. Morbifera enim sunt, vel saltim pericolosa, quae massam sanguinis vel nimis exagitant, vel maiorem versus vterum affluxum deriuant; haemorrhagias efferas vel abortum ipsum producunt. Vtrumque efficerent motus corporis vel nimis excedens, vel respirationem turbans. Saltatio, cursus, equitatio, vel alias iusto maior corporis motus sanguinem commouet, haemorrhagias vteri excitat, placentæ cum vtero nexus facile soluit, atque abortum prouocat. Non adeo parvus grauidarum est numerus, quae hac de re minus follicitæ, poenas imprudentiae luere coguntur. Ita foemina nota est mihi, quae, saltationis amatrix, incautior quodammodo hoc exercitii generere

nere sanguinem exaestuans, iam aliquoties abortum passa est. Sic HIPPOCRATES feminam quae grauiditatem celare volebat, septies a terra dissilire iussit; quo facto statim immaturum foetum edidisse legitur. Sunt et ii corporis motus grauidis admodum nocivi, qui respirationis libertatem praeludunt, atque ita circulationem sanguinis impediunt. Eleuationes ponderum, cachinnum, sternutationem et alia hoc referre possumus. Qui maiora pondera tollere nituntur quam fortissime inspirant, et non prius halitum emittunt, quam onere deposito; qui cachinnantur, fortissime exspirant, non tanta celeritate atque copia spiritum atrahere queunt, laeditur respiratio, qua turbata turbatur circulus sanguinis, cuius transitum compressi nimis diu vel extensi pulmones impediunt; musculi abdominales, vehementissime agentes, vnde viscera abdominalia atque uterum compriment; diaphragma deorsum cedens, maxima vi a superiori parte omnia contenta abdominalia premit; vnde constricta vas sanguinem transgredientem arcent, qui, itinere per pulmones praecuso, celerius per imminutum, vasorum diametrum vehi incipiens, inaequalem atque impetuosum cursum describit. Sic ex unica leui visa causa plura emergunt saepe mala, quae non sine grauiori periculo sanitatem infringere et totius machinae ordinem turbare queunt. Sunt et aliae, quae ab omni mala suspicione liberae videntur, aborticidii causae, quae ignaras rerum feminas specie innocua facillime decipiunt. Quid enim plurimae negligentius curant, de qua reminus sunt sollicitae, quam de tempore illo, quo absque ullo detrimenti periculo congressum admittere possint? Frequens sane haec est aborticidii causa! Grauiditatis tempore crebro admissus coitus sanguinis adfluxum versus uterum inuitat, orgasmum excitat, ad constringentem uterum disponit, et foetus immaturi exclusionem haud raro determinat. Sic ex hoc fonte plura atrocia mala saepe oriiri affir-

9101

mat

mat ZIMMERMANNVS, qui hac de re conferri meretur in libro inscripto *v. d. Erfahrung, Th. 2. Seit. 396. u. f.* Iure porro aborticidii causis adnumerare mihi videor coitum, quem proxime ante instans menstrui fluxus tempus exercent. Facillime enim abortum patitur femina, quae non paulo ante grauida facta est. Soluit sanguinis tunc temporis in abdominalibus locis coaceruationem sublequens excretio debilem embryonis cum vtero nexus facillime, atque immaturum elicit foetum. Haec a pluribus adeo neglecta aborticidii causa iam ab aliis auctoribus animaduera fuisse videtur. Hinc stabilitam hanc legem, feminas ante fluxum mestruum proxime instantem, difficilime concipere explicandam atque deriuandam esse iudico. (vid. STEINII *Diss. de signorum graviditatis aestimatione, Goetting. 1760. §. 26.*) Non omittendae porro sunt, quae vel ab vteri mala constitutione, vel matris morbo saepius oriundae occurunt immaturi foetus exclusiones, quae, quum magna ex parte hominum culpae imputari debeant, inter caussas aborticidii impunis merito referendae videntur. Ex amplissima hac aborticidii caufarum multitudine pri-  
mum debilitatem vteri nominabo, quam haud ita raro abortum prouocare obseruamus. Sic fatigato per foetus exclusionem vtero, tan-  
tum temporis tribuendum est, quantum ad virés reconciliandas ne-  
cessario requiritur; quod, qui non praeterlabi patiuntur, qui nimis  
cito coitum admittunt, aborticidium saepius prouocant. Maiores  
sensibilitatem enim habent, a minori stimulo ad constrictiōnem solli-  
citantur fibrae paululum debilitatae, quae statu fano ad contractionem  
non adeo proclives, maiores irritationem facilis ferunt. Explican-  
dum inde videtur, quod obseruationibus saepius comprobatum vide-  
mus, phaenomenon, quod vnum abortum iam passae feminae, plu-  
res haud raro experiuntur. Sic porro ab aborticidii culpa haud im-  
munis sunt, quae morbos sibimet ipsi saepius contraxerunt, femi-

alq*i*

B 2

nae

nae, quibus immatura foetus exclusio produci potest. Spissitudinem sanguinis humorumque depravationes atque cacochymiam, spasmos etiam varios in primis viis occurrentes, et alias morbos, vel a diaeta vitaeque regimine peruersis, vel a neglectis remediis generari sci-  
mus. Nam vero et his abortum posse determinari, quis negabit? Spissitudo enim sanguinis atque humorum depravationes vel morbo-  
sum succum nutritium foetui reddunt, vel eius iustum quantitatem imminuant atque detrahunt. Solent quoque a spasmis primarum viarum musculi abdominales atque uterus ipse in consensu quando-  
que trahi. Quibus ergo omnibus satis nos effecisse putamus, maxi-  
mam abortum partem ad aborticidium impune referendum esse.

## §. III.

*Mors foetus maturioris.*

*Ob partum praeternaturalem et difficultem.*

Quod iam ultra septimum grauiditatis mensem protractum est tempus, non ab omnibus infanticidii impunis causis liberum deprehenditur. Foetus ipse maturior, humana saepe culpa in excidium detrusus, diuersa mortis specie perit. Quem enim praeternaturalem atque difficultem nominauerunt artis obstetricariae doctores partum, saepius vita priuare foetum, neminem inficias iturum puto; hanc tamen ipsam difficultatem partus atque praeternaturalem conditio-  
nem non raro ita comparatam inuenimus, ut non tam naturae ipsi atque necessitatibus cuidam, verum frequentissimae culpae hominum tri-  
buenda esse videatur. Respiciamus enim ad ea partus impedimenta,  
a quarum praesentia difficultis atque praeternaturalis partus conditio diiudicatur. Quorum plura si proprius consideramus, humana cul-  
pa magna ex parte existit, reperiemus. Haud leue partus obsta-  
culum sunt vires matris labefactatae, quae haud raro ab hominibus  
ipfis

ipfis fatigatae languescent. Partus facilis natura sic nonnunquam pessime mutata, arte omnino succurrendum, atque variis subsidiis foetus exclusio tentanda erit, quam etiam saepius non sine foetus excidio in auxilium vocare coguntur artis obstetricariae periti, si vel vterus parturientis vel nascendus ipse vitioso laborant situ, aut genitalium maternorum magnitudo foeti non respondet. Neglecta vela quae ab infantili statim aetate adapte formanda omnia corporis membra adhibenda est, cura, vel in profectiori aetate iustis remediosis omisis, haec mala saepius oriri videmus. Membris atque ossibus in iuniori aetate adhuc mollioribus, facilius pressioni cuicunque cedentibus, diuersa ratione violentiam inferri posse, eaque vel e situ naturali distorqueri, vel etiam figuram morbosam nancisci multis exemplis edocti scimus. Sicuti enim illis quibus a natuitate statim ossa vel incuruata vel alia ratione disiformia sunt, haud difficile arte succurritur nonnunquam, vt vel pressione continua vel ligatione partibus male formatis iusta figura atque situs naturalis reddi queat; eodem iure membra molliora vi quadam lenta atque constrictione a pressure incuruari, a naturali loco figura et magnitudine arceri, et in morbosum situm detruidi poterunt. Saepius hoc mali genus etiam puellis contingere videmus, quibus a natuitate statim vel peruersa ancillarum gestatione pelvis comprimitur, vel ritu nostrorum temporum corpus vestimentis ita constringitur, vt eorum arcta alligatione pelvis coacta in iustum magnitudinem non extendatur, vterus ex naturali situ dimouetur, atque sic omnes hae partes vel situm vel figuram et magnitudinem praeter naturalem atque morbosam adipiscantur. Hac ratione depravatae partes foeti maturo et in iustum magnitudinem extenso exitum permittere recusant, atque nascendum ipsae corruptae corrumpunt. Sunt ex hoc fonte praeter reliqua partus incommoda etiam praeter naturales partus situs nonnunquam de-

B 3

riuandi,

riuandi, qui felicem atque sanam foetus exclusionem adeo saepe perturbant. Qui ex naturae legibus situ naturali atque bono in lucem edi potuisset, foetus, saepius turbato ordine naturae vel a tam praeternaturali partium constitutione, vel continuata vestimentorum per tempus grauiditatis ad abdominalem regionem admissa pressione, vel etiam concurrente sedentaria vita, hac tam frequenti variorum morborum causa, iam primis grauiditatis mensibus, ad quaevit mutatio-nes facilius subeundas admodum adhuc pronus, praeternaturalem atque difficilem situm culpa hominum cum magno sui periculo nascitur. Quae mala, hac ratione orta, facile et alia haud minora sequuntur, partum difficilem adhuc difficultorem reddentes. Partibus enim ita male formatis atque exclusionem foetus retardantibus, diri puerperae oriuntur cruciatus atque spasmi varii satis vehementes quos, accedente praecipue plethora, haud raro conuulsiones perti-naces, uteri vel vaginae constrictiones aut prolapsus, eiusdemque farinae alia mala, magno cum partus impedimento insequi solent. Quae cum ita sint, contemplaris his omnibus, quae exiriosam hanc partus naturam saepe determinant, difficultorum atque praeternatura- lium partuum nostris regionibus contingentium frequentiam, haud ita difficulter nos posse explicare, arbitramus. Quodsi enim gentes quae cultiorem terrae tractum inhabitant consideramus, eas multo difficultius praeceteris parere, deprehendimus. Non ita difficile est hanc ipsam differentiam inter incolas urbium et eas feminas obserua-re, quae rura colunt; quid? quod mulierculas nostras primi ordinis magis praeternaturali foetus exclusioni saepius subiectas esse videmus quam eas, quae vilioris sunt conditionis. Ex quibus omnibus haud iniuste concludere posse mihi persuadeo, vel depravatas ex more saeculi nostri receptas quasdam consuetudines, vel vitae peruersam rationem, partus facilis ac naturalis conditionem saepe adeo per-tur-

ABNBNY

turbare, ut praeternaturalium foetus exclusionum tam frequens cau-  
sa esse videantur. Pluribus conf. SCHEFFEL diff. de foetu natibus  
in partu prodeunte, Goetting. 1770.

## §. IV.

2) Ob parum male tractatum.

Qui in ipso partus negotio expediendo saepius committun-  
tur errores, in recensendis variis infanticidii impunis causis certe  
haud infimum locum merentur. Diu multumque iam conquesti sunt  
docti viri, feminas illas, quae obstetriciam artem profitentur, tanta  
saepe stupenda artis sua ignorantia rem suam administrare, ut ne  
facili quidem atque naturali partui rite expediendo aptae inuenian-  
tur. Nulla fere tam laeta tamqae facilis erit foetus exclusio, quam  
non arte iuuare queamus, vel cui non commodi aliquid addi pote-  
rit. Sed quid boni a tali femina expectandum erit, quae rerum  
ignara, ne naturae quidem leges obseruare eiusdemque beneficiis  
vix didicit. Sic stupido atque peruerso talis feminae conatu, par-  
tus, qui naturae legibus faciles atque naturales contingere potuissent,  
difficiles, praeter naturales ac exitiosos saepe reddi videmus. Non  
adeo longus ero in describindis iis, qui sub partus negotio admittuntur,  
erroribus, ne tali materiae copia obrutus, in tam amplum  
volumen paruum hoc opusculum adeo extendere cogar, ut a propo-  
siti mei ratione plane abhorrire videatur. Sufficiet iam itaque, in-  
dicasse, ex peruersa partus administratione saepe etiam naturales at-  
que faciles partus adeo corrumpi, ut difficiles et praeter naturales  
contingant, ipsaque et foetus et matris mors subsequi possit. In  
promptu sunt fatis funesta exempla multa, quibus haec euicta con-  
firmantur. Inter alias feminae cuiusdam historiam huic probando  
fatis aptam, rememorabo, quae totam rem ipse ita contigisse refe-  
rebat.

rebat. Se nonem iam partibus felicibus atque naturalibus editis, ingruente decimo, partus negotio, quoad reliqua adhuc vegetam atque sanam, feminam quandam obstetricantem, ad partus labores subleuandos, accersisse. Haec, disquisito vteri statu, doloribusque veris inchoantibus, naturae succurrendum partumque accelerandum esse putat. Complicata dextra manu pectus parturientis vehementius percūrit, nec eiulatum nec preces audit miserae, sed impetuosa celeritate foetum iam apparentem extrahit exspirantem. Sequitur haemorrhagia effera vterique prolapsus. Sunt et alia frequentissima et fere quotidiana exempla, quae hanc inficiiam inter obstetricantes feminas non raro occurrere probant. Quamuis enim sunt in quas detestanda haec ignorantia non cadit, vt partum naturalem in difficultem atque praeter naturalem peruerso conamine mutantes, hominum plures interimant; certe tamen non erunt multae, quae praeter naturales atque difficiles partus recte absoluere sciant. Sunt cuique fere difficultati atque partus impedimento sua remedia ab arte peritis iam excogitata atque crebriori experientia iam comprobata, quibus peruersa ac exitialis partus natura in meliorem atque innocuam saepe mutari potest. His vel neglectis vel praepostere applicatis, qui conservari omnino potuisset, saepe perit homo. In utroque peccant feminarum obstetricantium multae, dum legum artis vel plane ignare, vel saltē in illis non satis versatae deprehendantur, vt earum iusta applicatione his malis apte mederi queant. Non inaudita aut incognita loquor. Diuulgata est omnibusque etiam muliercularum plurimi cognita haec, tot exemplis se prodens plurimarum harum feminarum ignorantiae fama, lugent hanc rem, conqueruntur, nihilominus tamen in ipso necessitatibus casu artis obstetricariae peritos in auxilium vocare recusare solent. Partim pudori male locato adeo indulgent, partim praeiudicatis opinionibus tantum tribuunt, vt infusa quae-  
uis

uis ipsamque mortem facilius ferendam patent parturientium pluri-  
mae, quam ut arte obstetricaria peritum in auxilium vocari permit-  
terent. Sic femina nota est mihi, quae ante aliquot annos partu-  
praeternaturali laborans, ab obstetricante femina sublevari non po-  
terat. Desatigata fere adstantium cognitorumque precibus, velit  
permittere, ut virum quendam in arte obstetricaria versatissimum in  
auxilium vocarent, immota tamen per duos fere dies mansit, vsque  
dum demum et naturae beneficio et variis adhibitis consiliis, foetus  
perfectus, sed, sub ipso partus negotio mortuus, excluditur. Sunt  
et parturientium aliae, quae arte peritum tandem, omni reliqua  
opera incassum applicata periculoque maximo imminentia, accersi  
patiuntur, sed viribus exhaustis, tempore iam nimis diu protracto  
totaque re in excidium derrusa, cum nihil amplius boni effici possit,  
sinistrum res euentum nanciscitur. Tam diuersa ratione in ipso par-  
tus negotio multi foetus pereunt, et quorum omnino conseruari  
potuisset vita, ipsorum hominum culpa moriuntur.

## §. V.

3) *Ob morbos foetus conditions.*

Quae hucusque a nobis pertractatae sunt infanticidii impu-  
nis caussae, nondum totam hanc materiam exhaustisse putamus, sed  
superfunt adhuc quaedam, quas iam attingere fas est. Saepius enim  
iam ante partum, variis admissis caussis, quae foetum vel iam in  
vtero materno interimunt, vel ita debilitant, ut partus etiam facilis  
vitam extinguat languidi, spes futuri hominis ab hominibus ipsis  
irrita redditur. Diuersa ratione haec mala promouet grauida, dum  
vel sui regimine minus apto, vel vitiosa diaeta morbos variaque in-  
commoda inuitat. Quae nondum vitali embryoni adeo perniciosa  
sunt animi pathemata (vid. §. 2.) etiam maturiori foetui exitiosa esse

C

pos-

possunt. Praecipue vero hic ad foetus nutritionem erit respiciendum, a qua plerumque foetus vel morbosā vel sana constitutio dependet. Quae varias caussas §. 2. iam indicatas admittunt, grauidae, a quibus vel nutritio foetus corrumpitur vel eius iusta quantitas detrahitur, foetum ipsum maturiorem iam in vtero enecant, vel ita saltē debilitant, ut etiam a leuiori caussa, imo a facilī partus laboribus intereat. Inter has infanticidii impunis caussas referri omnino merentur variae vteri compressiones, vteri vel totius corporis languor peruerso regimine oriundus, cacochymia matris ab erroribus in diaeta variis contracta, et aliae ab hominibus saepe productae res, quae vel deprauando succos nutritios, vel iustum eorum quantitatem foetui imminuendo, foetum vel nimis debilem reddere, vel ante exclusionem vita priuare queunt. Nolo iam violentiam externam, quae ab improuida saepe matre admittitur, et alias causas vberius considerare, quae efficiunt, vt, nutritione imminuta, foetus tristem sortem experiri saepius cogatur. Haec iam dixisse sufficiat, ex quibus facile colligi poterit, etiam foetum maturiorem in vtero adhuc latentem, non liberum esse a tali vitae periculo atque interitu ipso, quem hominum culpa contingere videntes, ad infanticidii impunis pertractionem merito referendum putamus.

## §. VI.

4) Ob neglectam sc̄itionem caesaream.

Ad quam in hoc §. considerandam deuenimus infanticidiū impunis catissam, rariuscule occurrere fatendum quidem est, attamen, quum quodammodo extitisse sc̄iamus, plane omittendam non esse duximus. Sunt enim nonnunquam adeo aduersae ac perniciose conditionis, partus, quos natura fere nihil, ipsaque ars tota parum adiuuare posse videntur, nisi quod cruentē operatione foetum ex

vtero

Vtero materno eximere tentat. Plura huius operationis quamvis felicissima existent exempla, quae et foetum suisse conseruatum, ipsamque ne quidem matrem exinde detrimenti quid cepisse docent; ramen tanta auersatione tantoque odio hocce remedium et parturientium et adstantium plurimi prosequuntur, ut et foetum interire libentius finant; et illud reiciendo certum interitum illae facilius subeant moriturae. Difficile ita et a matre ipsa et ab adstantium multitudine hoc unquam erimus imperatruri, ut, quamvis omni reliquo auxilio praeculso, sectionem caesaream institui finant. Quantum hoc pertinaciae genus in quibusdam valeat, censeo me quam optime exemplo quadam notabiliori illustrare posse, quod debo fauori atque benevolentiae illustris mei *Praefidis ac Praeceptoris*, cuius nomen ob tot quae *EIVS* in me exstant, merita, pia mentis devotione sancte veneror. Primipara pelui compressa laborans, foetu in transuersum iacente brachioque ad vteri orificium delapo, *Virum Illustrum* in auxilium venire sollicitar. Annuit his precibus indulgentia *Virii Illustris*, eamque per conclave ambulanten inuenit, disquisitoque vteri statu tam angustam peluim comperit, ut vix digitum admittat. Exploratis itaque omnibus, sectionem caesaream, in qua unica salutis spes erat posita, omnibus argumentis, sed incassum suadet. Reicir omnia; qualiacunque ad animum flectendum profertur, pertinacius, grauida, vitamque adhuc per duos dies protractat miseram, tandem ab imperitis ruditer et imprudenter tractata, disrupto transuersum vtero et conuulsionibus superuenientibus, animam efflat. Disquisitioni anatomicae subiicit *Vir Illustris* corpus exanimatum, foetumque mortuum, per rupturam vteri transuersam, a conuulsionibus propulsam, in dextra abdominis parte sub hepate reperit. Sic grauidarum pleraque, anceps hoc esse remedium iudicantes, eo se omnis culpae speciem a se esse auersuras, putant.

Est quidem; neque etiam quod sit auxilium anceps dubitari potest. Melius tamen est ancipitem salutis tramitem eligere, quam certam pernicie viam prosequi. Quid morte enim certius praedici potest, si ob insuperabile impedimentum, vla foetus ratione excludi nequit, atque ista tamen, quam dixi operatio reiiciatur? Quid, quaeso, faciendum esse putas? an naturae res committenda, quae inualida viribusque destituta adiuuare recusat? an hoc reiecto remedio ad alia artis auxilia confugiendum, quae, impedimentis nimis grauibus aduersantibus, rem subleuare non valent? Quid ergo haesitandum? quid longius differenda operatio, de qua administrata vel vtrorumque vel vnius saltē conseruationem merito sperare possumus? Exstant enim plura exempla, quae tam felici cum successu institutam fuisse hanc operationem nos docent, vt non solum foetui matrique quae iam exstingui incipiebat vita, fuerit restituta; sed etiam pristina sanitate recuperata, mater de nouo concipere potuerit. Sic anno iam millesimo quingentesimo Heluetum in ipsa coniuge hanc operationem instituere coactū, tam feliciter eam administrasse legitur, vt postea et gemellos et quartuor praeterea liberos ex ea coniuge natos suscepérit. Non ergo, qui quandoque contingere possunt, infelices rei eventus aduersari videntur, neque hi aut operatori aut operationi ipse rite institutae vitio verti possunt; anceps enim remedium adhibere melius est tali in casu quam, omni auxilio remoto, rem totam perdere. Neque ille medicus reprehendendus erit, qui, parturiente morti iam vicina, foetus adhuc viuo nondum excluso, hanc operationem suspiciendam suadet. Moriente matre foetus vita periclitatur. Quamuis enim exspirante matre non semper pereat foetus, sed seruari adhuc et in fauibus mortis iam haerens eripi possit, subit ramen nonnunquam aduersa satis mala mortemque ipsam in moriente matre relictus miser, qui iusta opera adhibita saluus eripi potuisset.

Iu-

Iubent itaque et dexteritas et officia quaevis, medicum omnia experiri, omnemque in eo ut conseruetur homo, consumere operam, netali remediorum cura neglecta, foetum interire sinat, atque infanticidii reus iudicandus esse videatur. Pari ratione agendum erit medico, si grauidia in statu grauiditatis diem obiit supremum. Neque semper in femina mortua operationem caesaream instituere dissuader, non absolutum visum grauiditatis tempus, quum veri matrimonii et matrimonii, quod publica solemnitate inchoatur, initium, inter se nonnunquam valde discrepent, et sic specie hac valde decipi possint medicorum nimis creduli; praeterea ad plures hebdomades, imo ad menses in grauiditate indicanda saepius a vero aberrant feminae, vel quod rei non satis sint peritiae, vel quod verecundiae intempestiuue in iusto etiam matrimonio, tantum indulgeant, ut ad tempus aliquod grauiditatem celare studeant. Neque recte sectio caesarea in mortua ideo damnatur, quod saepius incassum fuit administrata, cum melius sit, centum operationes absque vila utilitate instituere, quam, eadem neglecta vnicum perdere hominem. Hac ergo operatione, suadentibus omnibus rationibus, nihilominus ex quacunque causa omissa, non solum matrem, sed etiam foetum culpa hominum ita perire putamus ut infanticidii impunis causis nouam inde speciem addi censeamus. Pluribus conf. SALOMO VAN EMBDEN *Diss. de Partu Caesareo, Lugd. Battau. 1771.*

Frequentissimae sane sunt et passim quotidie occurunt, quae hucusque a nobis pertractatae sunt, durante grauiditate admissae infanticidii impunis causae, attamen eae, quae non adeo celeriter foetum trucidant, sed quae mortem e longinquu tantum, praeterlapsa

quodam temporis spatio, infantibus inferunt, adhuc crebriores esse videntur. Suadet hoc morborum connatorum atque hereditariorum multitudo; suadet hoc debilis saepe ex utero materno iam contracta infantis constitutio quae saepius, fractis naturae viribus, debilitato, quod ad iniurias vitae ineuitabiles ferendas necessario requiritur, naturae robore, illum praematura morte peremir, qui iam ex periculis quae sub grauiditate sunt metuenda, elapsus fuit, partusque ancipites labores sustulit. Culpa hominum haec plerumque accidere, nemo facile negabit. Pauca id exempla commonstrabunt. Si depravatos nostrorum temporum mores, si peruersas nonnullas ac pessimae indolis consuetudines satis late diffusas libereque regnantes respicio, vix quidquam inuenio, quod non sanitatem debiliter, vires naturae infringat, futurae proli vel morbos vel mortem ipsam contrahat. Cui ignota sunt, quae eorum, qui se Veneri Bacchoque dedicauerunt, multitudinem, premunt mala? ipsi saepius iuvenes aetate, corpore et viribus iam senes sunt, in castris Veneris Bacchique iam emeriti milites. Hi ipsi infirmi, infirmae etiam velerudinis prolem, si quam unquam, in matrimonio suscipiunt, teneram, imbecillem, quae et leuissimi malis ferendis impar, animam prae mature efflat. Frequentissima sane haec est infantidii causa, cui et alteram annumerare me posse puto, quam ii admittunt, qui contagiosis morbis et praeципue venereis correpti, foecundum exercent coitum. Venerea labefactus coniux, coniugem eadem foeda atque turpi macula inquinat, aut mater ipsa iam grauida, eodem inhonestatis genere se fecundat, misellum pessimo et perniciose hoc morborum genere deperditum editura. Quam saepe, quam frequenter haec infantidii impunis causa, quae ex immodico veneris ac potulentorum spirituosorum abusu oritur, his temporibus occurrat, nemini certe ignotum erit, qui medicam artem profiteretur. Non minus grauidae, quae varia

-cup-

ra-

ratione nutrimentum embryoni detrahunt, huius vitii accusandae censentur, foetuique nascendo excidium struunt. In sinu latenti nutrimentum saepe detrahit mater, ali infanti vbera praebens. Deficiente, a qua vires augmentumque dependent, succi nutritii iusta quantitate, viuus quidem, ast tener, imbecillis excluditur misellus, a quauis vicissitudine praematura morte extingendum. Haud ita dissimilem sortem subire saepe coguntur infantes, qui §. V. indicatas infanticidii causas experti fuerunt. Viui quidem sufferunt nonnunquam partus labores, sed nimis debiles mox a leuissima causa vita priuantur. Plura sic ex antea dictis et quotidiana experientia facile poterunt colligi, quibus sufficienter probatur, hanc infanticidii impunis causarum speciem omnium fere frequenter reperiiri.

## §. VIII.

*Dei naevi materni.*

An imaginatio matris tanta gaudeat vi, vt ope illius laefiones quaedam in utero adhuc latenti embryoni inferri queant? in utramque partem a medicis agitata anceps quaestio est. In aduersa parte stant ROEDERERVS aliique magni nominis viri hanc facultatem matris plane reiicientes, satisque firmis argumentis opinionem suam probatam esse existimantes. Contrariam sententiam multi fouent, qui et experientiam et alias rationes allegare pro opinione sua possunt. Non haesitabo in determinando eo, quod verum visum fuerit, ne aut deceptus auctoritate magnorum nominum, aut inter viramque sententiam dubius haerere videar. Est enim unica tantum veritas, et hanc sequi non erubesco. Quod ergo ad argumenta illa attiner, quae ROEDERERVS aliique adduxere, non tanti omnino ponderis visa esse vt nec infringi queant, nec commode ad ea responderi possit, fateor. Non ego is sum, qui omnes istas a super-

sti-

stitiosa credulitate excogitatas fabellas vel velim vel queam defendere: ut potius deridendas et abiiciendas esse ducam. Nolo tamen et in aduersa parte peccare. Nolo eorum vestigia premere, qui vim omnem imaginationi matris denegandam esse ducunt. Quid enim? Nonne videmus saepe quasdam a matre sibi viuide repraesentatas res in foetu accurate depictas? Vnde tam exacta tamque admiranda similitudo? Nunquam certe a me impetrabo, vt credam, ista omnia temere accidisse, et nescio a quo casu fortuito ita esse producta. Sed obiicit quis, nexus illum viuidas inter matris repraesentationes et foetus mutationes non omnino intelligi posse? Quis vero tam arrogans est, vt, se omnia naturae mysteria aperire posse, sibi sumat? Sic ergo hac de re sentiendum putamus, vt nec nimis faciles simus in admittenda ista facultate imaginationis, nec tamen nimis increduli in calibus obuiis eam plane reiiciendam esse censeamus. Quapropter quum omnino mutationes satis aduersas in embryonis corpore vis imaginationis in matre excitata determinare posse videatur, nos non omnino a propositi nostri ratione aberrasse putamus, si, de infanticidii impunis causis agentes, hanc nobis quaestionem disquirendam atque ponderandam sumsimus.



SE.

SECT I O SECUNDA  
 DE  
 CAVSSIS  
 INFANTICIDII IMPV NIS  
 POST PART V M.

§. IX.

*Status corporis in infantili aetate.*

**C**ogitantibus nobis atque paulo attentius considerantibus, quid sit, cur, tam diuersas vicissitudines saepe experiatur, atque tanta morborum multitudine suppressum iaceat infantile corpus, non difficile erit veras caussas eruere. Diuerfissimis malis ansam praebet ipse corporisculi habitus atque conditio. Tenerrima enim haec machina ab iniuria quacunque facilime violatur. Nam concrescunt firmius mora tandem temporis atque nutritione bona subleuante, manusque robur acquirunt partes, quae in initio laxae tenerae ac molles erant, et facilius tunc quascunque vicissitudines ferunt. Gradatim vero et lente agit vis illa, quae cohaesionem auger. Infirmiora enim sunt iuniora membra, atque in infantili corpore laxiora, imperfecta debiliora, ideoque a leui vi irritata atque sensibiliora deprehenduntur. Quae solidorum conditio, cum ei semper fere fluidorum natura respondeat; propterea quod ad sanam eorum indolem semper actio determinata solidorum requiratur, satis notabilem diuersitatem inter succos corporis infantilis et eos, qui in profectiori aetate elaborantur, determinat. Quo fortior enim solidorum in fluida C. H. actio, eo solidior latex est. Agricolae, fabri et alii, qui magno labore corpus fatigare solent, crassiori atque solidiori sanguine scatent,

D

cum

cum contra ea in illis, qui otiosa vita fruuntur, tenuem plerumque sanguinem reperiamus. In infantili ideo corpore succi sunt tenues, lymphatici, blandi atque diluti. Quid mirum ideo, si tot morborum genera in infantibus saepe obseruamus, ut illi sere aetati propria esse videantur? Adiuuat etiam praeterea et auget haec saepe mala culpa hominum ipsa atque incuria, cum vel naturae infantilis corporis ratio non habeatur, et variis erroribus atque negligentia ipsa, morbi et incommoda diuersa in vegetum infantis corpus inuitentur, vel iusta remediorum applicatione neglecta, morbo oppressae naturae infantili non rite succurratur. Facilius ergo, quae in hanc aetatem tam crebro inuadunt, aegritudines vel ferri vel nonnauquam eutari omnino possent, nisi culpa hominum ipsa huic malorum generi asylum quasi quoddam praeberet; quod, quam diuersa ratione contingat, pluribus iam illustrare enatur.

## §. X.

## Aëris vicia.

Quem nos vndique ambire scimus, quem respiratione attrahimus, aerem, vel tuendae vel infringendae sanitati multum inservire, plura iam obseruata docuerunt. Non ita quidem facile sentiunt viciisitudines atmosphaerae robustiora corpora, nec tam crebro detrimenti quid exinde capiunt; attamen ipsos vegetissimos homines morbis succumbere videmus, qui aëri nocenti maxima ex parte originem debere videntur. Non ideo praetermittenda iudicamus, quae a mala aëris conditione in debili infantis corpore produci possunt, incommoda. Evidem praeuideo, si ita hanc materiam pertractandam ducerem, ut omnia penitus a me exhausta viderentur, tanta rerum multitudine me oppressum iri, ut opusculi huius volumen mirum quantum in modum extendere cogerer. Quamuis ergo sint

sunt plures, quae perpendi possent, tamen eas potissimum aëris vitiosas conditions attingam, quas præ caeteris attentione nostra haud indignas iudico. Illae ergo, de quibus præcipue loquar, vitiosæ aëris qualitates, sequentes erunt, si aër frigidior iusto est aut calidior, aut celerrime e calido in frigidum mutatur, quibus omnibus adhuc venti nocuam indolem adnumerare me posse mihi videor. Frigida corpora ad C. H. applicata constringunt vasa. Admissò ergo frigidiori aëre, qui e corpore eliminari debuisset, transpiratorius latex, constrictis vasis exhalantibus remoratur, remanet, atque iterum ad massam sanguinis reforbetur. Turbata hac excretione summe necessaria totus machinae confunditur ordo. Cui enim ignota sunt experimenta illa, quae diuersa ratione arque summa industria a viris doctis hac de re sunt instituta, quibus summa haec huius excretionis necessitas atque utilitas euincitur? Reborbitis enim his, quas natura eliminare tentabat, particulis variis corruptis atque morbiferis, maximum morborum sparguntur semina. Haec vero quae ab impedita transpiratione, oriuntur, mala, eo plus in infantili corpore erunt extimescenda, quo magis succorum serosa indoles hanc excretionem necessario requirere videtur. Sumimam enim huius excretionis in infantibus utilitatem atque necessitatem docere nos videntur, variis morbi infantibus satis familiares, qui præcipue a retento sero ortum trahunt. Impuritates sanguineae atque præcipue variae istae catarrhi species, inter infantes frequentissimæ, huius rei euidentissimo nobis possunt esse documenta; qui tamen morbi, in autumno ac vere, quando facilime ab admisso frigidiori aëre transpiratio supprimitur, præcipue inter eos saeuire obseruantur. Arcendum ideo maxima cura frigidior aër ab infante, qui, iam morbo correptus, maiori sensibilitate ac debilitate laborat, et facile noua mala mortemque ipsam exinde experiri poterit. Non rara sunt huius rei exempla.

D 2

Puel-

Puella  $1\frac{1}{2}$  circiter annorum, atrophia, ex nutricis celata grauiditate, laborabat; vix quadrantem anni nata, mali huius initium obseruarunt parentes. Adhibuerunt varia. Tandem quoque medicum accersunt. Infans prorsus emaciatus praeter omnem expectationem in gratiam redire incipit cum sanitate pristina; dentitio parum difficilis accedit cum aliquali oppletione pectoris; propinantur necessaria, dens pro-rumpit; symptomata cessant, morbiisque praecedentis vestigia magis magisque evanescunt. Scena haec saepius luditur, tandem nouis dentibus exitum molientibus, congesione inque leuorem versus peretus excitantibus, puella, aëri frigidiori humido pluvioso incaute exposita, catarro suffocatio e viuis discedit. Calidior iusto aër, quamvis humorum ad peripheriam motum augeat et transpirationis negotium adiuuet, tamē ex alia parte satis infensus deprehenditur. Tali enim lege machina humana est conflata, vt sensim admissa consuetudine, rei etiam insuetae aliquantulum pro ipsis natura adsuescere queat. Admisso iraque per tempus aliquod maiori caloris gradu, sensim sensimque corpus huic adsuescit, sensibilius redditur, et tunc frigus, quantumvis non adeo magnum fuerit, ferre adeo recusat, vt facillime detrimenti quid capiat. Manet perperam contrafacta consuetudo, variaque mala producit. Arcetur omni cura ille, cui ferendo corpus iam impar factum est, frigidior aër, amatur magis magisque calor, atque tandem varios morbos determinat. Acriora fiunt fluida corporis nostri in iusto maiori calore constituta. Excernitur aqua et nimia transpiratione latex, qui diluendis humoribus infernit, crassiora atque spissa redundunt fluida. Qui per minora vasa transiici deberent, succi, iam nunc nimis crassi, ibi morantur et stagnant. Producuntur exanthematum varia genera, productaque augentur. Qui moderatum caloris gradum exigit, placidus sanguinis motus, turbatur, exaestuatur sanguis atque maiori celeritate per vasa vehitur.

Hinc

Hinc ratio motuum febrilium, qui tam facile exaestuato sanguine vel oriuntur, vel, iam praesentes, augentur. (*vid. S T O R C H von den Kinderkrankheiten Th. 4. pag. 298.-299.*) Quae mala et maiora et grauiora excipiunt, si nimis calidus aer in frigidum celerius mutatur; quam vicissitudinem robustiora etiam corpora vix absque detimento sentiunt. Quae enim a calore nimis dilatata erant, vasa, expansis fluidis ingressum permiserant, murata crebro aeris indole, a frigoris vi constringuntur, et globulis fluidorum receptis reditum denegant. Finit ideo stagnationes, quas morborum varia genera facile ipsaque mors insequi solent. Supprimitur praeterea in instanti larga illa transpiratio, quae a calore excitata nunc a frigore fistitur, excernenda retinentur, retenta resorbentur variosque morbos rheumaticos, catarrhales et alios producunt tanto certius tantoque grauius adfligentes, quanto magis celeres mutationes nocent. (*HIPPOTRATES Aphor. Libr. II. aph. 51.*) Sic infans quidam aliquot mensium rumore in platea oborto, a nutrice improuida e cunis aufertur, ut, quae noua accidissent, cognosceret. Aer frigidus pluuiosus ad corpusculum sudore madidum admissus, catarrhum suffocatum statim inuitat, et mors sequitur spatio vnius horae. Plura huius rei exempla facili opera vbique fere locorum detegi poterunt, quibus, quantum detrimenti ex simili negligentia sit verendum, fatis luculenter videri poterit. (*Vid. etiam hac de re S T O R C H l. c. pag. 299.*) Inter plura quae de aeris vitiis atque damno in tenellis infantum corporibus saepe ex hoc fonte oriundo, disserrere possem, adhuc vim illam quam saepe venti in producendis augendisue morbis exserunt, paucis considerandam esse puto. Indoles ventorum, ob locorum et aliarum rerum accidentium diuersitatem, adeo mutabilis ac discrepans, effectus quoque maxime inter se diuersos in C. H. producit; quos, ex aeris atque atmosphaerae conditione deriuandi et explicandi cum

D 3

po-

potius sint, iam nunc pluribus non considerabo. Impetu tamen suo premere ita poterunt venti, ac si maius aëris pondus corpori incumberet. Ad molliores itaque pulmones maiori vi admissi, turbant respirationem in tenellis iam adeo debilem, comprimunt vasa, atque ita ipsis pulmonibus vim inferre poterunt (vid. STORCH *I. c. et GAVBIUS Pathol. s. 434. 443.*)

## §. XI.

*Cibus et Potus.*

Sanitas atque vita magna ex parte ab alimentorum natura dependent. Vel facilius vel aegrius in indolem succorum corporis humani transeunt ingesta, a debili infantum digestione commutanda. Quo facilius hanc mutationem subeunt alimenta, eo magis sanitati amica, quo difficilius, eo insalubriora erunt censenda. Lac humanum ex hoc fonte, quodsi sanum fuerit, omnibus reliquis, quae infanti neonato porrigi poterunt, nutrimentis, facile palmam praeripit. (vid. SPIELMANN *Diss. de optimo infantis recens nati alimento Argent. 1753.*). Sunt enim reliqua omnia, qualiacunque infantibus propinari poterunt, illis dotibus destituta, quibus lac humanum praeditum deprehenditur, quippe quod, a vi corporis humani concoctrice iam elaboratum cum sit, facilius in naturam succorum corporis infantilis transit, atque ab eo subigi potest (vid. V. HALLER *Elem. Physiol. Tom. VII. part. II. pag. 33. seq.*) Sicuti vero non facile inuenies commodum, quod, si a iusto illius usi recedunt homines, malorum varias species determinare nequeat; ita quoque hoc alimenti genus infantibus porrigo homines nocere poterunt. Ad utrumque enim iam erit attendendum, tam, ut iusta lactis quantitas nutriendo praebeatur, quam, ut qualitates huius nutrimenti legibus sanitatis respondeant; ad haec, qui respicere negligunt, non raro in-

te-

teritum infantibus struunt. Quod determinata tantummodo lactis quantitas ad nutritionem recens nati adhibenda requiratur, facile largiuntur omnes, attamen in utroque tam quod nimium lactis praebent, quam, quod non satis porrigan, multi peccare solent. Maximam, quam possunt, lactis quantitatem infanti ingere, magna muleriarum atque lactantium amat pars, tam quia bene nutritum neonatum crescere atque opimorem fieri cupiunt, quod roboris arque sanitatis signum esse iudicant, quam ut infans alimento largiter ingerito, quietus iaceat. Utrumque quidem nonnunquam ad tempus, sed in perniciem saepe infantis impertrant. Quodsi enim debilior iam infans fuerit, extensus nimia lactis quantitate ventriculus magis adhuc debilitatur, infringitur vis illa, quae coctionem promouet, intra etumque fere relinquitur lac, quod, caseofum atque acre redditum, diarrhoeas, tormina, vomitum, convulsiones et mortem denique ipsam producit (vid. s T O R C H Th. I. pag. 343. 344.) Quodsi vero e contraria parta ita peccatur, ut iusta minor quantitas lactis infanti praebetur, alimento deficiente, totus corpusculi oritur languor atque macies. Robur enim partium nutritioni sanae responder, quod tamen, quantum ad sanitatem tuendam ipsamque vitam sustinendam conserat, nemo ignorat. Imminuta enim iusta nutritione, vires vacillant, variii morbi et denique mors ipsa facile sequuntur. Plura huius rei scio exempla. Vnicum narrabo. Primipara partum edit sanum, sed parum debilem, ex culpa obstetricis imperitiae, parturientem nimis diu sellae adfixam detinentis. Lactatio ob papillas hinc inde erosas molestiam creat, quare rarissime infans admouetur mammis. Tandem clamores eiusdem expectantur ad hoc officium ipsi praestandum, sed nutritionis defectus debilitatem augens, clamores paruuli inhibet, qui quarto vel quinto post nativitatem die viribus exhaustus exspirat animam. Non minoris momenti illa disqui-

quisitio censenda mihi videtur, quam ad naturam lactis diuersasque eius qualitates obseruandas, instituere cogimur, cum ex eius nocua indole sub diuersa specie tristissima mala mortemque ipsam recens nati saepius oriri videamus. Incredibile est quantum detrimenti ex hac parte saepe capiant infantes, quod eo frequentius quidem continere solet, quo magis ab ingestorum natura vtrumque vel morbus et mors, vel sanitas et vita dependet, et quo saepius vel a variis lactantium morbis, vel ab innumera aliarum causarum multitudine hoc nutrimenti genus corruptum deprehendimus. De quibus iam in §. VII. sumus conquesti, morbi variii praecipue contagiosi et venerei hic quoque tristissimos saepe effectus producunt. Non opus est ut hoc pluribus argumentis probare enitar, quod ipsa morborum natura satis luculenter demonstrat, et quod quotidianis fere exemplis passim occurrentibus confirmatum videmus. Ita puellam vidi lactentem, quae a natuitate statim humoribus impurissimis laborabat ulceribus sordidis per totum corpus, aurium manationibus serosis acribus admodum foetidis, crusta lactea etc. Quocunque etiam ingesto medicamine, nihil ramen leuaminis sentiebat. In regimen matris lactantis inquirens medicus, eam aequae ac maritum venere furtiua vti, potui spirituoso iraeque valde indulgere percipit. Diaeta tam igitur conuenientem cum depurantibus sanguinem ac euacuantibus commendat, sed frustra. Vitae enim ante actae continuatio effectum speratum impedit. Nec nutrici melioribus succis praeditae infantem committere volebat mater, quae tandem, nutritione bona deficiente, macie confecta interit. Non ita prorsus difficile erit, obseruando et reliqua lactis via eruere, quae infantibus adeo exitiosa saepe existunt. Quodsi enim vel nimiam particularum nutrientium quantitatem in se continet, si nimis caseosum aut pingue est lac, vel si ea parte, qua praecipue nutritio perficitur, paululum defitit.

stitutum et tenue est, varia mala producere poterit. Si enim prius contingit, eadem fere damna sentit, eademque pericula experitur infans, quae ex nimia lactis quantitate subire cogebatur; si posterius, ex iusta nutritionis defectu oritur languor, macies, reliquaque mala omnia, quae a fractis viribus atque robore nimium imminentur surmetuenda. (vid. superiora) Praeterea animi pathematisbus in depravandis lactis qualitatibus magna vis est. Haec enim, sicuti totius machinae iauertunt ordinem, ut se et excretiones turbent, spasmos producant, bilis effusionem determinent, quae, regurgitata ad malam sanguinis per totum corpus distribuitur; ita quoque lactis, ex depravati sanguinis massa secernendi, naturam in pernicie latenter mutari poterunt. (vid. ROSENSTEIN, von den Kinderkrankh. STORCH, von Kinderkrankh. Th. I.) Sicuti vero lactis natura adeo mutari potest, ut damnosa et pessima mala inde sentiat saepe parvulus, vita et alia quoque alimenta infantibus saepe porriguntur, quorum plura non possumus quin merito pro morbiferis maximeque perniciosis habeamus. Eminet ex hac parte inter reliqua illud, quod ex farinaceis atque puliculosis conficitur, nutrimenti genus, quod plerumque infantibus largius praebere amant mulierculae, er quo, an nocentius quid excogitari possit, dubito. Viscido enim hoc repletus ventriculus, illi digerendo impar intactum relinquit, quo sit, ut suam naturam sequens ingestum, flatulentiam determinet, acrimonia tunc oritur acida, tormina, motus epileptici, conutissimi, vermis nidulum praebetur; sequuntur obstrunctiones glandularum mesentericarum, atrophia, febres, rachitis, mors. Farinaceum vero nutrimenti genus non est unicum, quod huius vitii accusare possumus, sed haud dissimili modo reliqua omnia durioris naturae maturuscule infantibus ingesta, nocere deprehenduntur. Male itaque parvulus consulunt, qui aut recenti aut sale condita animalium boop

carne, aut aliis subduris cibis, infantem vesci ac nutritiri cupiunt. Eadem enim pericula subire cogitur infans, quae pultis intempestivum usum sequebantur. Neque exinde commodi quid sperandum est, quando ciborum tenaciores a nutricibus aut aliis feminis masticati ipsi ingeruntur. Obest haec magis, quam prodesse credunt, confusio, cum succi pravae indolis nonnunquam multum infantis ingeratur, et quamvis etiam hic sanus fuerit, nec qualitate noceat, verendum tamen erit, ne quantitate ob sit. Succus enim femellae saliuialis in masticatione cibis admixtus maiorem motum in illis excitat, quam ut tam cito a vi ventriculi atque intestinorum subigi dariuscule naturae ingesta queant, ex quo fonte et flatulentia et mala digestio, tormina, aliaque mala oriri facile poterunt. Non possumus caeterum, quin adhuc pauca his verba adiiciamus, ut ea, quae ex lactationis diutius protracto tempore oriri mala creditur s<sup>c</sup> h u l z e (*diff. de morbis infantum ex matrum indulgentia, Goetting. 1759. f. 17*) paululum limae subiiciamus. Obesiores iusto fieri infantes, pituitososque morbos inuitari putat quidem vir clarissimus, si tempus lactationis ultra iustum terminum protractum fuerit, quem illum esse purat, si sex aut septem dentes proruperint; attamen illud vix unquam a me impetrabo, ut in hanc sententiam descendam. Est enim hic, quem viuidum saepe fatis edunt infantes, motus, merito in censum vocandus, qui, quo magis ab ortu distant infantes, eo alacrior plerumque edi solet. Poterunt itaque ex hoc, quem iam adduximus, fonte, infantes permultum subleuari, nec difficulter illa mala, quae imminere credit Vir celeberr. multum imminent, imo tolli plerumque ex hac parte nobis persuademos. Sunt etiam potus vitia, quae fatis negligenter nonnunquam curantur, hic in censum vocanda, quando non leuem quandoque parvulis molestiam creant. Ab vsu hic remouendum est totum illud spirituosum potulentorum genus, quod-

quod parentum tamē quidam adeo amore complectuntur, ut et infantes eo carere nolint, atque larga nonnunquam ipsis copia imprudenter illud ingurgitent. Inebriante vero vi gaudens liquor, in imbecille ac irritable genus neruosum vehementius agit, ipsique hebetudinem quandam infert. Turbat praeterea illud, a quo vitiato innumera morborum multitudine ortum trahit, concoctionis negotium, quod, fracto neruorum solidorumque robore, et sanguine succisque ictis omnibus, qui illi inseruiunt, a spirituosis spissis redditis, in gravissimam sanitatis perniciem infringitur. Est quoque parentum mos multorum, ut infantibus potus fabarum arabicarum tostaruin aut florium theē nonnunquam satis magnam copiam porrigan, quem emant ipsi, quo vtuntur, et quo pessime gnatis consulunt. Vix enim coetricem infringit potus fabarum coffeē, massam sanguinis exagitat, et quum calidus sicuti quoque ille, quem theē foliis fibi parant, propinetur, eo magis orgasmus et fibrarum relaxatio erunt extimescenda. (vid. TISSOT *von den Krankheiten der Vornehmien*, pag. III.) Nimis frigidi praeterea potus, quibus et robustiores homines vix absque detimento vtuntur, sanitati infantū sunt infissimi, quod vero damni genus tunc temporis et augetur et periculosius redditur, quando a caloris paululum maiori gradu plusculum tepescatum est corpus. Est enim ea frigoris natura, ut vasa, a colore expansa, constringat paulo vehementius, atque fluida ab egressu e vasis arcens, stagnationes facile producat, quas magna malorum series pede presso sequi solet.

## §. XII.

*Noxae animi pathematum.*

Solent quidem animi commotiones in infantibus a plurimis non ita in censum vocari, ac si mali quid atque perniciosi exinde esset

extimescendum; mihi tamen non omnino attentione nostra indignae videntur. Obstupescens saepius videt miras a vi animi in corpore iam adulto satis nimicas mutationes excitatas fuisse, nec me errare arbitror si eadem hinc mala, et pro rei natura atque infantum constitutione maiora adhuc infanti contingere posse iudicem. Accidunt quidem animi pathemata adultis, quae in infantilem conditionem non ita facile cadere largior; dantur tamen et alia, quae satis vehementer in illis excitari posse, experientia fida saepius docuit. Quid enim? Nonne iram, metum, terrorem in infantibus excitatas, tristes effectus producere videmus? Ira neruorum actiones vehementissime intendit, orgasmum excitat. Terror maxima vi neruos percutit, spasmus cutaneos praecipue determinat, stagnationes producit. Metus neruos afficit, eos habetes reddit atque actionem eorum infringit. Suntne igitur ex his caussis aduersa atque sanitati infantum maxime inimica mala timenda, quae ex generis neruosi teneritudine, causarumque efficacia atque vi facile nos explicare posse putamus. Non possimus ideo, quin consuetudinem illam peruersam esse putemus, qua parentum plures vti solent, dum infantes paululum inquietos, metu atque terrore percusso fedare atque quietos reddere student; quem quidem morem iure nobis nostro reprehendere videmur. Ad eandem malorum classem, quae ab animi vi in infantili corpore determinantur, calamitates illas pertinere puto, quae a studiis praematuris atque facultatum animae in infantili aetate grauiori intentione infantes satis cito sentiant. Hac enim lege coniunctionem illam, quae corpus inter et animam intercedit, comparatam esse videmus ut, sicuti fatigato per labores corpore animus molestiam sentit, ita quoque non facile animus labore intendatur, quin varia sub specie incommoda et morbi denique ipsi in corpus exinde redundant. Non potest in corpore exstruendo adhuc occupata natura, animum simul for-

formare eiusque labores sufferre. In studia supra modum intentus animus actionem neruorum vehementer sollicitat, teneritudinem eorum in infantili corpore auget, eos hebetes reddit, tandemque eorum mechanismum perturbat; laeditur tunc actio ventriculi atque intestinorum, quippe quae ab encephali morbo facilissime afficitur; sequuntur stagnationes, debilitas, motus spastici, et tandem mors ipsa. Sic infantes a magistro studiis nimium incumbere imprudenter coactos, per totam vitam motibus epilepticis correptos, viderunt TISSOT atque van SWIETEN. (confer. qui hac de re exempla lectu dignissima annotauit, TISSOT, v. d. *Gefundheit der Gelehrten*, pag. II. 3. seq. EIVSDEM QVE lib. v. d. *Krankheit der Vornehmen* pag. 14.) Pessime itaque consulunt gnatis parentes, qui eos cogunt, ut a tenebris statim vnguiculis litteris addiscendis nimiam operam nauare debeant. Hoc enim praematuero studiorum genere cum corpus debilitari sanitatem infringit, morbos procreari, mortemque ipsam saepissime inuitari videamus, infanticidii impunis caussarum numero adiungendum illud esse duximum.

### §. XIII.

#### *Motus et Quietus.*

Motus atque quietis iusta temperies, sicuti ab adultis neglecta, varia mala atque morbos facile inuitat, ita etiam infantum sanitati tuendae adeo inservit, ut non penitus attentione nostra indigna esse videatur. Nocet enim nimius corporis motus infantibus, cum eorum vires consumat, succos eorum spissos reddat atque lymphaticarum particularum appositionem impedit. In sanitarem ideo liberorum iniuriosius agunt rustici aliquique vilioris conditionis homines, qui eos, infantes adhuc, saepe coactos praematuero labore defatigare solent. Poterit etiam praeterea solidarum partium in infantili corpo-

re subtilis adhuc fabrica facilissime laedi atque violentiam pati, quippe quae leuiori etiam vi ferendae adhuc impar deprehenditur. Non minus vero illos parentes damnandos esse puto, qui quiete sepultos quasi infantes ab omni corporis motu arcent, atque immotos esse volunt. Robur enim acquirunt maioremque firmitatem adipiscuntur parres paululum exercitatae, cum lanquidas contra ea atque flaccidas deprehendamus eas, quae maiori et nimiae quieti fuerunt traditae. Maiori vero adhuc iure eos accusare nobis videmur, qui vel nimiam alimentorum copiam parvulis comedendam tradunt, vel farinacea aut duriusculae naturae assumenda porrigit illis, nihilominus tamen eos quietos atque immotos relinquunt. Adiuuat enim permultum concoctionis negotium atque roborat partes eas, quae illi perficiendo praecipue inferunt, motus corporis iustus, quo neglecto, digestionem plerumque languescentem malam corpori nutritionem atque varios morbos inducere videmus. Sic infantem, qui nondum sedecim menses impleuerat, atrophia obeuntum vidi, indueta farinaceis atque puliculosis nimia quantitate ingestis, motu corporis neglecto. Mater enim, aliis negotiis vacans, infantem nec brachiis excipere, nec cunis agitare, nec mammis tam frequenter admouere voluit, quam quidem necessitas sanitasque requirebant.

## §. XIV.

Sommus et vigiliae.

Qui naturae beneficio excitatur, somnus, virtute sua recreante vires infantum auget, tenerum genus neruofsum vigilis atque sensuum extenorium actione magis paululum debilitatum resuscitans, perditas motu vires restituit, atque succi nutritii appositionem adiuvat. Haec commoda dum infantibus comparare nonnunquam volunt parentes, aut efficere, ut quieti iaceant, variis remediis somnum in-

nitata-

uitare solent; quibus morbos variaque mala infantibus nonnunquam procurantur. Damnandum praecipue hic totum illud opiatorum remediorum genus est, quo an nocentius quid infantibus porrigerem possint, ignoro. Haec enim solidorum actionem infringunt, concoctionis negotium turbant, adfluxum sanguinis versus caput determinant, sanguine cerebrum replet, vasa expandunt, neroos comprimunt, actionemque eorum impediunt. Quid mirum ideo, si neroorum actione turbata, in toto neroorum fabrica satis irritabili adhuc, varia mala facile excitantur? Quid perniciosius infantibus existere potest, nimio illo sanguinis versus cerebrum adfluxu, qui partibus solidis adhuc mollioribus arque facile cedentibus, vasa vehementius expandit, fibras debilitat, ad sanguinis versus cerebrum congestionem praedisponit, capitis corporisque postea innumera mala, conuulsiones maxime et hebetudines non raro inuitat. Est igitur nihil magis sanitati amicum, nihil ipsis salubrius, quam si, naturali facilique ac laeto somino, lassi recreantur, a quo peruersus nutricum mos eos nonnumquam arcere ac vigiles seruare studet, aut ipsos dormitientes immature excitat, ut nutrimentum ipsis praebeatur.

§. XV.  
*Neglectus.*

Amplissimum certe haberem, in quem excurrere possem, campum, si omnia ista mala, quae, a negligentia hominum oriunda, infantibus saepe perniciofissima existunt, fusi explicare constituissem. Plura iam, quae ad hanc materiam pertinent, in antecedentibus prolata leguntur, aut facili tamen opera ex illis erui poterunt. Id tamen faciendum mihi putavi, ut ea, quae inter reliqua hac de re adhuc dicenda, et damni magnitudine et frequentia eminere videtur,

den-

dentur, paucis attingam. Accusandam p̄ae caeteris hic negligētiam illam putāmus, qua commotae matrum nonnullae ne linea quidem tam saepe infantum mutare et eluere volunt, quam quidem et necessitatis et sanitatis leges postulant; paruulosque immitiūdos relinquent. Sordida cutis transpirationis negotium impedit. Remainent in corpore, quae eliminandae erant, acriores et nocuiae particulae, atque humores corrumpunt; acrimoniam concipit squalor in cute haerens, facile partes arrodit, sequuntur dolores, ulcera foeda, et malorum alia pessima. Est quoque nutricum matrumue non raro mos, ne surgere lectumque deferere inuitae cogantur, in lectum recipere infantem lactandum, vt ipsi vbera praebeant, aut frigidiusculum foueant; qua tamen desidiosa consuetudine infantibus nihil potest esse periculosius. Contingit enim tunc facile, quod saepius iam accidisse plura exempla docuerunt, vt inter lactandum lassae obdormiant, atque susceptorum inscieae, infantem aut pondere suo opprimant et suffocent, aut e lecto in terram eiificant. Obiit hac morte ante breue tempus infans sanus, e lecto matris lactantis atque sub ipso lactationis actu obdormientis capite prono in terram prolapsum. Non raro plures passim hac ratione interire infantes videimus, cuius mortis exempla iam plura annotauerunt BÜTTNER vom Kindermord et SÜSSMILCH. Neque est ideo, cur matrum plures excusandas credam, quae honoris quandam speciem habere se putant, si ipsae infantes lactandos non curant, eosque nutricibus venilibus sine necessitate ostendationis causa committunt. Huic curae gerendae parentes saepius femellas adhibent, quas ne ipsi quidem rite cognitas habent, et quae non raro maximum infantibus damnum inferre solent. Scatent enim saepius ipsae succis corruptis corrumpunt lac infantibus praebent, vel adeo negligenter sanitatem curant paruolorum, aut ita rei sunt ignarae, vt pessimas nonnunquam

mi-

misellis calamitates inferant. Huic malorum generi accedit non raro ipsa matrum vel ignorantia vel incuria, quae ne sanis quidem, multo vero minus aegrotis infantibus subleuandis atque educandis operam adhibere vel queunt, vel volunt. Incredibile tamen est, quantum curae atque laboris infantis tuenda sanitas requirit. Ipsa vestimenta et fasciae corpori applicatae non raro magnam infantibus molestiam creant. Arctius enim adstrictæ fasciae humorum motum progressiuum turbant, stagnationes determinant, dolores, inquietum atque vigilias producunt, corpusque languidum atque morbosum reddunt. Maior vero opera maiorque adhuc cura sanitati infantili restituendæ impendenda est, si morbo quodam correptus iacet infans, quod tamen negotium satis oscitanter curare parentum quorundam peruersus mos est, naturae enim vel penitus illud relinquunt, vel medicastros medicastrasque adhibent, et aniculis, circulatoribus aliisque homicidis impunibus expediendum committunt. Quid vero, quæsio? boni, homines isti efficere poterunt, qui nec morborum latentes caussas atque naturam, nec medicamentorum vim vel aduersam vel salutarem rite perspectam habent? Porrigunt tamen, ut aliquid fecisse videantur, ex paruo illo medicamentorum numero, quorum vix nomina tenent, infantibus, quidquid primum in mentem venerit. Fit inde, ut non raro naturae conamina atque crises turbentur, vires consumantur, morbus augeatur, atque tota corporis fabrica turbata, qui facile seruari potuisset, pereat homo. Quotidie fere hoc euenire videmus. Impuritatibus e. g. sanguineis atque exanthematibus chronicis laborat infans. Adhibentur externa repellentia, retrocedunt exanthemata, materia excernenda resorberunt. Sequitur nunc anxia respiratio, omnisque deficit somnus. Iam vero quietum student reddere infantem atque somnum inuitare. Propinant opiate; sequitur catarrhus suffocatiuus et mors breui tempore

pore adeſt. Nihil porro infantibus periculofius exiſſtere potest, quam peruerſa illa atque iuſſa conamina, quibus circumforanei hi atque medicaſtri acutis morbis mederi ſtudent. In fudore largiori fere omnes totam ſalutis ſpeim poſitam eſſe putantes, aere calido corpus circumdant, lecto conteguunt aegrotum, atque ſanguinem exaefuant (de cuius rei noxiis vid. §. X.). Quae antea benignior erat, in maligniore degenerat febris, exanthemata producuntur et augentur, acriora fiunt fluida et funefo morbus euentu finitur. Sic variolas fere plurimi tollere, aegrotumque ſubleuare volunt, dum ſuccum ex fimo ouillo expreſſum, larga copia ingurgitandum porrigunt. Sanguis vero acri et ſtimulante latice exaefuantus, orgaſmum excitat, augeretur febris, maligniores euadunt variolae atque mors facile ſequitur. Alii purgantibus, alii vomitorii draſticis abutuntur. Et, quis farraginem medicamentorum nociuorum modosque illos omnes nominare poterit, quibus haec pernicioſa hominum turba vitae hominum infidiatur? Iam ſufficiat haec breuiter attigilſe, quibus illud effeciſſe putamus, ut pateat, negligentiam hominum atque incuriam frequentiſſam infanticidii impunis inter homines eſſe cauſam.

## §. XVI.

*Vitae genus, corporis conditioni non respondens.*

Vel leuiſſima poterit nos docere attentio, sanitatem hominum corporumque vires maxime inter ſe diſcrepare, atque mox robustiores mox imbecilliores deprehendi. Facilius violatur tenerior fabrica, nec multum iniuriarum ferre potest; diſſicilius e contra robustiora corpora afficiuntur. Eandem sanitas infantum atque vires agnoscunt legem. Tenerior enim quorundam eſt fabrica, facilius morbo corripiuntur, atque in maiori vitae periculo versantur. Laedere

dere ergo infantes poterunt ii, atque diversis calamitatibus afficere, qui corporis structurae atque virium rationem non habent, eosque omnes eodem more tractandos esse ducunt. Notulam ideo mereri videtur satis heroicum illud educandi genus, cuius suasor est ROUSSÉAU, satis cognitus ille auctor. Robustiora enim corpora fortiora ab eo redi<sup>i</sup> eorumque vires augeri, non negandum esse putamus, attamen non possumus, quin debilioribus, quorum quidem vires illi ferendo non sufficiunt, certam mortem exinde securaram praedicamus. Non enim éadem sanitatis omnibus lex est; non eadem leuitate morbos et ferre et superare cuique contigit; sed viribus corporis infantilis et robore illius omnia putamus metienda esse, nisi sanitati vim inferre, ipsique eorum vitae nocere velimus. Haec vero iam omnia hucusque prolata satis mihi probare videntur, infantieidum impune vnam esse de frequentissimis atque praecipuis caussis, quae incolis prouincias orbant easque depopulantur.




ARTICULATI ET CONSOLIDATI

pag. 8. lin. 18. loco arte leg. arte  
pag. 12. §. II. lin. vlt. loco abortum leg. abortuum  
pag. 15. §. IV. lin. vlt. loco ipse leg. ipsi  
pag. 22. lin. 20. loco infanticidii leg. infanticidii  
pag. 29. lin. 20. loc quantum leg. quantum  
pag. 31. lin. 16. loc. parta leg. parte  
pag. 36. lin. 3. loc. nimicas leg. inimicas  
pag. 37. §. XII. lin. vlt. loc. duximum leg. duximus

X2338861







O IN AVGVRALIS MEDICA  
SISTENS  
AVSSAS  
ICIDII IMPVNIS

QVAM  
PRAESIDE  
ADOLPH. BOEHMERO

MED. SENIORE ETC. ETC.

ADU DOCTO<sup>RS</sup>

IN MEDICINA HONORIBVS

ET  
TORALIBVS RITE CAPESENDIS

DEC. CICICCLXXI.

VELICE DEFENDET

AVGTO<sup>R</sup>

CUS ADOLPHUS  
LECTER  
HALENSIS.

SALAM, AERE HENDELIANO.

B.I.G.